1532. d. 3 Mar. Valachia

Sigismundus Primus Rex Poloniae Ferdinando Regi Romanor. Ul. Boh.

57

Serenissime Princeps.

Nobilis Venceslaus Prozen Subditus Maiestatis Vestrae Suae et Aulicus Noster jam multoties supplicavit Maiestati Vestrae et nos pro illo intercessimus et successionis suae in jura et debita fratris defuncti rationem habere, et Maiestatem pro authoritate in iustitia sua Regia in illa tueri et defendere ita velle, ut neque illi amplius de iustitia sua apud Maiestatem Vestram agendi, neque nobis pro illo intercedendi occasio praebeatur, quod tamen hactenus neque preces illius, neque intercessio nostra efficere potuerunt, negotiis fortasse majoribus Maiestatem Vestram distinentibus. Quare nunc iterum praesentibus Maiestatem Vestram ex animo rogamus, ut tandem in hanc illius justitiam et causam gratiose inspicere, quantumque iustitia et aequitas postulant, sibi in adjudicando tribuere, velit ut ipse sentiat, et nos cognoscamus intercessionem, a Nobis factam, aliquo loco apud Maiestatem Vestram fuisse. in quo Maiestas Vestra rem aequitate sua Regia dignam et Nobis singulariter gratam praestabit, quam vicissim officiis Nostris et pari.

et pari benevolentia refferre illi semper curabimus
Commendamus Nos amori et benevolentiae Fraterne, Mtis Vestrae Sua[m] quam et Felicissimam. Dat.
Cracoviae 7a 3 Martii Anno Domini 1532.
Regni Nostri 26.

Ad 1532 A. Domini